

6. Variæ species arborum metallicarum exhibentur in sicco & liquido.

DEMONSTRATIO XLIX.

Terræ sulphuræ inflammabiles alcalinæ, nec non
salia fixa, lapides & cineres vitrescibiles, metallo-
rum calces ac scorias redigunt in metalla.

Experimenta.

1. Mineræ argentæ, auræ, varii generis, nec non saturninæ, cupræ, stannæ examinari debent, & ex iis metallum suum debito modo educi.

2. Nitrum sulphur minerarum deflagando facillime producit ex ipsis metallum, præsertim argentum & aurum, pulveres carbonum, salia alcalia, oleosa, mineras ferri, auri, cupri, stanni, si prius sulphure decenter per calcinationem fuerint orbata, optime reducunt in sua pristina metalla, quod spicula acida in poris calcium & scoriarum relicta absorbendo, & volatilisatione auferendo & abigendo.

3. Pulvis niger fusorius (Germ. Schwarzer Fluß) ex mineris argenteis, cupreis, vel stanneis non separat metallum, si adhuc sulphure scatent, quoniam sulphur hoc sale ligatur, quod postea operando in metallum. Magis illud destruit & in pulverem convertit, hinc mineræ sulphure prius orbandæ sunt antequam tractentur cum salibus

DEMONSTRATIO. L.

Animalia balsamicis liquoribus via humida & sicca
à putredine optime conservari possunt.

1. Monstrantur partes ferme omnes internæ corporis humani utriusque sexus nempe intestina, ventriculus, quorum vasa cera rubra, viridi repleta, hepar, lien, mesenterium, cor, omentum, pulmones, partes genitales, quæ curiose præparata per 4 jam annos conservantur in liquore non pretioso, & tali forma apparent quasi recenter fuerint e corpore exempta.

2. Hæ partes omnes etiam sicco modo balsamo obduratæ cera repletis vasis monstrantur, ubi curiosum oculum merentur vasa omnia piæ matris impleta liquore rubro.

3. Pes cum toto femore, etiam brachium cum manu omnibus adhuc musculis præparatis instructum, conservatur integrum & sine ulla corruptione in liquore, quem conservationis modum Deo dante mox in integro homine experiri volumus.

F I N I S.